



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Spei

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios & ignes profitebor.

*S P E I.*

**I**N te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim aude- rem hoc tremendum sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confi- sus accedo ad te, ut ovis morbida ad Pastorem, ut infir- mus ad Medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut tu me foveas, protegas, corroboreas & sanes. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuæ, nam licet pec- cata mea plurima & gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura & graviora forent, si cum misericordia tua, & pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposta est to- ta fiducia mea, & gaudeo quod nihil in me sit, in quo possim confidere. Miserere mei, & salva me, qui nun- quam deseris sperantes in te.

*C H A R I T A T I S.*

**O**Quanta vis amoris cor tuum succendit, Amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis! Grande quidem fuit & admi- rabile opus amoris tui, quod naturam nostram assumere dignatus sis; sed longè præstantius & mirabilius est, quod corpus tuum in cibum, & sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Sic totum thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensa hac dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animæ, unica mea felicitas, & summum bonum quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota mente,